



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Virtute Ac Sacramento Pœnitentiæ Decisiones

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio XXXIX. Argumentum. Disseritur de Confessariis Religiosorum, & de eorum approbatione per Prælatos Regulares tantùm facienda. Examinatur famosa Quæstio, An Religiosus habens licentiam eligendi ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94661](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94661)

Sedis Apostolica iudicio, prout aliàs Constitutione Prædecessoris Nostri sel. rec. Clem. IV. statutum fuit, esse requirendam.

§. 8. & §. 9. Præcipit ita esse iudicandum à quocumque cum clausula *Sublata &c.* & cum Decreto irritanti, &c. derogando amplissimis clausulis derogatoriis quibuscumque Privilegiis, aut Bullis contrariis; etiam Bullæ Auræ, quæ est illa Congregationis Casinensis solventis annuatim Unciam unam Auri Sedi Apostolicæ pro manutentione suorum Privilegiorum, ut in Bullar. Casinen. tom. 1. Constit. 59.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnat. Dom. 1670. XI. Kalend. Junii, Pontificatus Nostri anno primo.

Verùm de facultate competente Confessariis Regularibus pro absolutione à Censuris, & casibus reservatis, & pro dispensatione Irregularitatum, & commutatione Votorum agemus appositè infra in Decis. XLVI. per totam. Interim hoc unum, corollarii loco, ad favorem Regularium Confessariorum adnotantes, quòd ii possunt ubique audire Confessiones in illa Diœcesi, in qua ab Episcopo fuerant approbati, licet in eorum mandatis sint hæc verba: *Ut in Ecclesia tui Ordinis confessiones utriusque sexus fidelium audire possis, & valeas, &c.* siquidem talia verba stant demonstrativè, non taxativè, ut pluribus argumentis demonstrat Bardonus Var. resol. part. 1. resol. 36. num. 34. & in Miscellaneis suis Decis. 471.

DECISIO XXXIX.

ARGUMENTUM

Differitur de Confessariis Religiosorum, & de eorum approbatione per Prælatos Regulares tantum faciendâ. Examinatur famosa Quæstio, An Religiosus habens licentiam eligendi extraneum Confessarium, possit eligere simplicem Sacerdotem à nemine approbatum? Firmatur opinio negativa contra torrentem Moralistarum. Alia plura dubia proponuntur, ac resolvuntur, concernentia Confessarios Religiosorum existentium intra, & extra Monasterium; nec non Itinerantium, Novitorum, Famulorum, Hospitum, ac tandem Tertiariorum.

SUMMARIUM.

- 1 Approbatio Episcopi non est necessaria pro Confessariis Religiosorum.
 - 2 Prælati Regulares non audiunt Confessiones suorum subditorum; & cur?
 - 3 Episcopi cur non audiant Confessiones Sacramentales?
 - 4 Religiosi debent confiteri Confessariis, per suos Superiores deputatis, & non aliis, nisi in tribus casibus. Et qui sint?
 - 5 Religiosus itinerans num possit confiteri Sacerdoti à nemine approbato? Opinio negativa, & affirmativa. Argumenta utriusque.
 - 6 Episcopi confiteri tenentur Sacerdoti approbato; ac etiam Cardinales.
 - 7 Jubilai vigore Religiosi eligentes Confessorem extraneum, approbatum eligunt ab Episcopo.
- Doct. Clericali Tom. I. Liber I^{us}.

- 8 Religiosus exterum Sacerdotem nisi approbatum eligere in Confessarium non potest.
- 9 Approbatus debet esse Confessarius eligendus ante Trid. Concil.
- 10 Glossæ opinio prævalet opinionibus aliorum Doctorum.
- 11 Idoneitas in Confessario pendet ab approbatione Superioris.
- 12 Jurisdictio data sine approbatione Confessarii non sufficit ad absolvendum.
- 13 Prælati Regulares confiteri non possunt nisi Sacerdoti approbato.
- 14 Socio Sacerdoti itinerans Religiosus debet confiteri.
- 15 Jo. Cephalus Jureconsultus ubi sepultus.
- 16 Religiosus in aliena Ecclesia celebraturus potest ibi extero confiteri.
- 17 Itinerans ex fidei causa, & in fraudem, non eligit Confessarium.
- 18 Licentia eligendi Confessarios an possint prohiberi Religiosis?
- 19 Novitii, ac famuli Regularium, quibus confiteri possint? & numer. 20.
- 21 Vestiens Novitius an consueatur approbato per Prælatum Regularem?
- 22 Sæculares Presbyteri an possint à Prælato Regulari deputari in Confessarios sui Conventus?
- 23 Hospites in Monasteriis an confiteri possint eorum Confessariis?
- 24 Tertiarii an possint confiteri Sacerdotibus per Episcopum non approbatis?

POst approbationem Confessatorum Regularium pro audiendis Sæcularium confessionibus, de qua supra disseruimus, convenit, ut de eorundem Regularium approbatione agamus respectu excipiendarum Confessionum suorum Religiosorum, & aliorum degentium in ipsorum Monasteriis, Claustris, seu Conventibus. Igitur scire oportet, quòd non est necessaria approbatio Episcopi pro audiendis Confessionibus Religiosorum commorantium, ac viventium sub obedientia suorum Prælatorum Regularium: Siquidem Concilium Tridentin. in cit. sess. 23. de Reform. cap. 15. subjecit approbationi Episcopali Regulares audituros Confessiones Sæcularium; non autem illas Religiosorum; hi enim quo ad Sacramenta, & præcipue quo ad Pœnitentiam, pendunt à Jurisdictione propriorum Superiorum, qui gerunt vices Episcoporum, ac Parochorum erga Religiosos sibi subditos: quorum propterea Confessiones Sacramentales audire, & eos à peccatis absolvere possunt, auctoritate sibi à Summis Pontificibus concessa, vel per se ipsos, vel per alios Confessarios à se deputatos, ac approbatos; ut in puncto docent inter Canonistas Barbosa de Jure Eccles. Univers. lib. 1. capit. 43. numer. 204. & Fagnanus in cap. Omnis utriusque sexus, num. 62. ac inter Theologos Suarez de Pœnitent. disput. 28. sect. 1. numer. 4. Bardonus Var. resol. part. 1. resol. 4. num. 2. & 3. necnon resol. 34. numer. 3. ubi alios cumulat. Lezana in Summa tom. 1. cap. 18. num. 25. 26. & 27. Novissimè Eminentissimus. Card. de Lauræa de Sacrament. Pœnitent. disput. 19. à num. 56. & seqq. quibus addo egregium Juristam Jacobum Pignarellum tom. 10. consult. 30. num. 35. Quòd adeò verum est, ut idem Confessarii Regulares approbati ab Episcopo, non autem à Prælato suo, non possint audire Confessiones Religiosorum, neque eos absolvere. Lezana dict. tom. 1. capit. 18. numer. 26. & ibi Suarez tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 16. num. ult. Jo. Ant. Novarius in Summa Bullar. part. 2. Commentar. 35. num. 3.

Quamvis autem Prælati Regulares, & Monasteriorum Superiores possint auctoritate sua ordinaria Religiosorum sibi subditorum confessiones audire Sacramentales, & eos à peccatis absolvere; nihilominus hoc munus Confessariorum personaliter, ac per se exercere non debent; attenta prohibitione iisdem Superioribus facta per Summum Pontificem Clementem VIII. qui in suo Decreto casuum reservandorum pro Religiosis diei 26. Maii 1593. posito inter Constitutiones Urbani VIII. tom. 4. Bullar. Rom. Constitut. 26. pag. 43. (quod referunt etiam Quaranta in Summa Bullar. Verb. Casus reservati. Novarius dict. part. 2. Commentar. 35. & ego quoque transcribam integrum in Decif. XLVI. occasione reservationis casuum Prælati Regularibus permittit,) in eodem, inquam, Decreto §. 2. ita ait: Non liceat Superioribus Regularium Confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reservatum admiserint; aut ipsimet subditi sponte, ac proprio motu id ab eis petierint. Ac subinde ita præcipit §. 3. Superiores in singulis domibus deputent duos, tres, aut plures Confessarios, pro subditorum numero majori, aut minori; ique sint docti, prudentes, ac charitate præditi; qui à non reservatis eos absolvant, & quibus etiam reservatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit, in quo eam debere committi, ipse in primis Confessarius judicaverit. Unde patet, quod si subditi ex propria voluntate velint confiteri peccata sua Prælati propriis, ac Superioribus, possunt ab eis audiri, ac absolvi: At ad hoc adigi, vel obligari non debent ex ea evidenti ratione, quam innuit Summus Pontifex in eodem Decreto; ne videantur Superiores frangere Sigillum Confessionis, & uti scientia habita in Sacramento, quando pro bono regimine Monasterii coguntur aliquem subditum exterius punire, & hac de causa, quamvis præcis

3 temporibus Sancti Anstites sedulam navarent operam in Confessionibus audiendis, ut de Sancto Ugone, ac de Divo Ambrosio, & aliis refert Pax Jordanus tom. 1. libr. 3. tit. 4. num. 3. nunc autem moderni Episcopi abstinent ab hoc munere, & ab eodem abstinuit Sanctus Carolus Borromæus, teste Genuense in Manuali Pastor. cap. 62. ut scilicet in foro exteriori possint absque scrupulo animadvertere in subditos; licet enim Confessarius possit aliquando absque violatione Sigilli, uti scientia, quam habuit intra, & extra Sacramentum, ut probat Eminentiss. Card. de Lauræa de Pœnit. disp. 21. num. 295. num. 300. & num. 312. & infra docebimus Decif. XLIX. nihilominus non debet loqui de peccato sibi in Confessione detecto, etiam si illud sciverit extrailam; quotiescumque subest periculum scandalum, Eminentiss. Card. Turrecremata in cap. Sacerdos. de Pœnitent. dist. 6. & Toletus in Summ. libr. 3. cap. 16. num. 10.

Igitur Religiosi tenentur confiteri sua peccata Confessariis approbatis, & deputatis per eorum Superiores, ac Prælatos; neque alios possunt adire, nisi in tribus casibus. Primus est, quando de licentia suorum Superiorum iter agunt; nam ex Privilegiis Apostolicis Religiosi itinerantes facultatem habent eligendi sibi in Confessarium quemlibet Sacerdotem, ut concessit Innocentius VII. Dominicanis; Sixtus IV. Franciscanis; quorum Privilegorum verba ponit Confectius pag. 3. & fol. 78. Bordonus Var. resolut. d. part. 1. resolut. 34. num. 2. ac Tamburinus de Jure Abbatum tom. 2. disput. 6. quest. 6. num. 7. Alter casus est, quando Superior alicuius Monasterii gratiose concedit sibi subdito, etsi per-

manenti in Monasterio, ut possit confiteri peccata sua etiam Confessario extraneo; nam per hanc concessionem censetur illum in confessorium deputare, & jurisdictionem ad absolvendum prædictum subditum impertiri: ut disserit, & probat idem Bordonus d. part. 1. resolut. 4. num. 3. & resolut. 34. num. 19. Tertius casus est, quando Religiosi vadunt ad Pœnitentiariorum Papæ. Lezana d. tom. 1. cap. 18. num. 26. & Bordonus d. resolut. 34. num. 59. Sed de his Papæ Pœnitentiariis plura dicentur infra in Decif. XLVIII. Cæterum, quia circa utrumque casum Moralitæ promonent plura dubia, quæ potiora sunt veniunt hic breviter referenda. Itaque

Primum dubium est: An Religiosus itinerans, vel qui Domi manet, sed habet licentiam à suo Superiore confitendi peccata cumque voluerit, possit eligere sibi in Confessarium simplicem Sacerdotem sive Regularem, sive Sæcularem, à nullo Prælato, vel Episcopo approbatum. Ad hoc dubium respondet negative Miranda in Manuali Prælat. Regul. tom. 2. quest. 33. art. 6. ea ratione, quia de jure communi, & de consuetudine universali, quæ ante Concilium Tridentinum vigebat, nullus Religiosus poterat confiteri peccata sua, nisi Sacerdoti approbato per ipsius Prælatum, vel Regularem, si ille Sacerdos Regularis erat; vel per Episcopum, si fuerat Sæcularis. Ergo multo minus poterit eligi in Confessarium Sacerdos simplex à nemine approbato post Concilium Tridentinum, à quo tanta energia requiritur idoneitas, & approbatio in audituro Confessiones. Confirmatur ab exemplo Episcoporum, qui ante ipsam Concilium Tridentinum poterant confiteri peccata sua cuilibet Sacerdoti etiam non approbato per text. in cap. fin. de Pœnitent. & Remiss. Sed post prædictum Concilium tenentur confiteri vel approbato à seipsum in eorum Diocesis, vel ab Ordinario loci, ubi reperiuntur, quando volunt confiteri; ut, hæsitantibus de hoc Cardinalibus in Congregatione, respondit Gregorius XIII. teste Diana, & cum eo pluribus DD. quos allegat part. 3. tract. 2. resolut. 3. num. 2. reposita in Coordinato tom. 7. tract. 1. resolut. 92. quibus ego addo Nicolium Canonic. Lucubr. tom. 2. libr. 5. tit. 38. num. 10. pag. 236. col. 2. ubi ita scribit: Sed an Episcopus vigore Privilegii, de quo in cap. fin. de Pœnitent. & Remiss. possit eligere Sacerdotem sibi non subditum, qui non fuerit à proprio Ordinario antea approbatus? S. D. N. Gregorius XIII. audita relatione Sacre Congregat. 2. Decemb. 1582. respondit, Non posse. In Congregatione nihil de hoc resolvi potuerat, quia vota fuerant paria. Unde Episcopus extra suam Diocesim non potest confiteri neque Regulari, qui non sit approbatus ab Ordinario loci. Idem docet, ac tenet post longam disputationem Fagnanus in d. cap. fin. de Pœnitent. & Remiss. num. 62. ubi eandem negativam opinionem procedere probat circa personas Eminentissimorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, qui sibi Confessorem eligere non valent, à suo Ordinario non approbato. Quapropter neque simplex Religiosus vel iter agens, vel licentiam habens à suo Superiore confitendi cui maluerit, poterit sibi eligere Sacerdotem non approbatum. Affirmativam tamen sententiam tenent communiter Theologi infra citandi; quam moralitæ defendit Bordonus d. part. 1. resolut. 34. num. 2. ubi eam propugnat pluribus argumentis; & præcipue quia in Privilegiis concessis de hac electione per Innocentium VII. & Sixtum IV. nulla fit mentio de dicta approbatione, quam Pontifices illi expressissent, licet necessariam reputassent; prout 7 ipsam

ipsam nunc exprimunt in Bulla Jubilæi, ubi loquuntur de Confessario eligendo per Religiosos, dicentes, quod sit approbatus à locorum Ordinariis. Ac etiam quia eatenus in aliis necessaria est approbatio Ordinarii, ut per eam electus recipiat Jurisdictionem absolvendi pœnitentes; sed hæc Jurisdictio tribuitur à Prælato Regulari, quando dat licentiam suo subdito, ut se subiciat Sacerdoti per eum eligendo in confessarium; siquidem etiam ille confessarius haberet approbationem, & Jurisdictionem à suo Ordinario, nil valeret respectu hujus Religiosi tanquam exempti, & extra spheram Episcopalis potestatis, vel cujuscumque alterius Prælati, nullum jus habentis in Religiosum eligentem; & tandem quia ante Concilium Tridentinum vigore *cap. Omnis utriusque Sexus. De Pœnit. & Remiss.* qui habebat licentiam à suo Ordinario, vel Parocho confitendi alteri Sacerdoti, poterat, quem malebat, etsi à nullo approbatus, eligere: ideo hanc opinionem amplectuntur DD. propè innumeri, quos citat, & sequitur Diana *part. 3. tract. 2. resol. 3. num. 3. & in addit. resol. 4. num. 6. Item part. 4. tract. 4. resol. 3. Nec non part. 9. tractat. 8. resol. 55.* Quæ quidem resolutiones collocatæ reperiuntur in ejus opere Coordinato *d. tom. 7. resol. 92. resol. 96. resol. 97. & resol. 98.* Alios plurimos cumulat Bordonus ipse *d. resol. 34. num. 3.* quibus consentit Lezana in *Summa d. tom. 1. capit. 18. num. 27.* & passim alii multi Scriptores Regulares.

Cæterum, veritatis amore ductus, cogor ab hac affirmativa opinione discedere, & ei non assentire, etsi tanta Moralistarum caterva stipatæ; imò illam expressè impugnare; quandoquidem rationes consideratæ per Bordonum (salva reverentia tanti Viri, cujus scripta aliàs apud me magnam habent venerationem) non sunt veræ de jure; nam, ut ab ultima incipiam, falsum est, quod ante Concilium Tridentinum qui haberet licentiam à suo Superiore eligendi sibi confessarium, posset sibi eligere simplicem Sacerdotem à nemine approbatum; totum enim contrarium testatur Glossa in *cap. Omnis utriusque Sexus in Verb. alieno Sacerdoti. De Pœnitent. & Remiss.* nec non in *Clem. 1. Verb. Speciali. De Privileg.* quæ utrobique advertit in tali casu eligendum fuisse Sacerdotem habentem ordinis executionem; & à suo Superiore ad confessiones audiendas approbatum. Glossæ autem opinio prævalet, & antepōnitur opinionibus quorumcumque Doctorum, ut plenè probat Fagnanus in *cap. Cum Vos in fin. De Offic. Ordin.* & notat Calcanæus *conf. 6. num. 5. & 6.* maximè quia in præsentī casu Doctrina Glossarum supradictarum fundatur in dispositione Sacrorum Canonum antiquorum, videlicet in *cap. Adjuvamus. §. Ecce in hoc & in cap. Generaliter. §. Hoc idem. 16. qu. 1.* ubi ore rotundo dicitur, quod nullus Sacerdos sive Secularis, sive Regularis administrabat Sacramentum Pœnitentiæ, nisi approbatus ad hoc munus per suum Superiorem, & per Episcopum. Hoc idem affirmant antiqui Canonistæ, inter quos Abbas in *dict. capit. Omnis utriusque sexus. num. 14.* Cardinalis Zabarella Patavinus, per antonomasiam Cardinalis appellatus, in *d. Clem. 1. de Privileg. qu. 33. & in alia Clem. 1. qu. 14. De Offic. Vicar.* nec non Baccius in eodem *capit. Omnis utriusque sexus num. 39.* quos refert, & eorum attestationem confirmat ipsemet Fagnanus *ibid. num. 10. & num. 53.* unde fit, ut his Canonistis potiùs, quàm Moralistis, seu Scholasticis Theologis sit deferendum,

cùm agatur de Sacrorum Canonum interpretatione, ut novissimè advertit Eminentiss. Cardinalis de Luca in *Annot. ad Concil. Trid. disc. 26. num. 24. & in tractatu de Matrimon. disc. 3.*

Hinc, ut ad rationes Bordonianæ redeam, neque prima vera est, quam ipse considerat; videlicet, quod Innocentius VII. in Privilegio concessio Religiosis pro hac electione confessarii, nullam faciat mentionem de eligendi approbatione; quamvis enim explicite, & per hoc vocabulum non loquatur, implicite tamen ipsam approbationem supponit; dum ait: *ut si aliquem Presbyterum idoneum, ex Professoribus dicti Ordinis habere non possint, quemcumque alium idoneum, & discretum Religiosum, vel Sacularem in eorum confessorium eligere valeant.* Per illa verba *idoneum ex Professoribus dicti Ordinis*, utique denotat Conciliarium expolitum ad excipiendas Religiosorum confessiones, & per consequens à suis Superioribus approbatum, & judicatum idoneum, Eo autem deficiente, per subsequentiæ verba, *quemcumque alium idoneum, & discretum Religiosum, vel Sacularem;* &c. utique influat præcedentem ejus approbationem; cum nemo dici possit idoneus ad confessiones audiendas, qui à suo Superiore non sit examinatus, & approbatus; prout de idoneitate personæ tradunt Menochius de arbit. *Jud. casu 142. num. 2. & 4.* ac Gratianus *Discepul. for. cap. 289. num. 12.* Idcirco modernis temporibus in Bulla Jubilæi appositæ est expressè approbatio confessarii eligendi per Religiosos, ne frustrantur tanto beneficio, si eligant non approbatum; & in tacitam condemnationem non rectæ opinionis allerentis posse eligi non approbatum ab habente licentiam confitendi cui maluerit; esset enim prædicta approbatio necessaria, quamvis Bulla Jubilæi illam non exprimeret; ut ex mente Sacre Congregationis Concilii testatur Fagnanus in *cit. capit. Omnis utriusque sexus num. 18. de Pœnit. & Remiss.* & cum sit explosa hæc opinio eligendi non approbatum in Jubilæi, censetur rejecta etiam in aliis electionibus de licentia Prælati; nam lex corrigens in uno ex correlativis, corrigit etiam in alio, *l. fin. & ibi Bartol. & DD. Cod. de Indicta Viduit. tollen.*

Pariter nihil concludit ratio Jurisdictionis ad absolvendum Religiosum, quam confert Prælati ejusdem Religiosi eligentis; & necesse non est, ut conferatur confessario electo, vel per Episcopum, vel per ejus Superiorem; quia esto, quod ita fiat, non est satis sola Jurisdictio sic attributa electo, quando ipse non sit factus idoneus ad exercitium illius Jurisdictionis per approbationem, à proprio suo Superiore de ejus persona faciendam; duo enim sunt impedimenta auferenda à Sacerdote confessiones audituro; defectus scilicet Jurisdictionis, & idoneitatis: tollitur primum per Jurisdictionem concessam à Superiore Religiosi, mediante licentia ei data, ut confiteatur cui velit; sed remanet secundum, quod per solam approbationem idoneitatis, à proprio Superiore electi obtinendam, auferri potest. Igitur hoc secundo impedimento remanente munus confessarii exercere non potest arg. *text. in cap. Extremam. De usu palii, & cap. Pastoralis. De Privileg.* quod in puncto considerat Fagnanus ubi supra *num. 7. & 8.*

Quapropter est omnino tenendum, quod prædicti Religiosi itinerantes, vel extra Monasterium de Prælatorum suorum licentia manentes, si habeant facultatem ab ipsis eligendi sibi confessarium, debeant

beant eligere Sacerdotem approbatum ab ejus Superiore, & confessionibus audiendis idoneum judicatum, atque expositum; tum quia hujusmodi Religiosis non debet esse concessum, quod non permittitur Episcopis, & Cardinalibus; tum quia nimis irrationabile esset, quod simplex Religiosus, & qui esset illiteratus, ac idiota, haberet jus judicandi idoneum, & approbandi sibi in confessorium quemcumque simplicem Sacerdotem Sacularem, vel Regularem, seipso magis illiteratum, ac magis idiotam; & forsan qualitatibus illius capellani reperti à R. P. Suarezio, de quo locutus sum supra Decis. XXXI. qui pro forma absolutionis recitabat Angelicam Salutationem; tum etiam quia non desunt gravissimi Theologi (præter Fagnanum, & alios Canonistas supra allegatos) qui unà cum Miranda ita docent, & sentiunt, inter quos Vivaldus in *Candelabro Aur.* parte 1. in tit. de Confessione num. 26. in fin. & ex professo Lopez de Texeda tom. 2. Theolog. Moral. libr. 3. tract. 1. controvers. 6. qu. 3. numer. 71. cujus verba non transcribo, quia leguntur relata à Diana d. part. 9. tract. 8. resol. 55. quæ in coordinato est tom. 7. tract. 1. resol. 98. num. 1. 2. 3. cui adheret Joan. M. Novarius De elect. for. cap. 69. num. 22. & Peregrinus in Comment. ad Constit. Clericor. Regul. in noviss. addit. qu. 4. cujus opinione exasperatus Diana d. part. 4. tract. 4. resol. 3. quæ in Coordinato residet tom. 7. tract. 1. resol. 97. vocat ejus rationes cata-pultas, & arietes.

Extenditur hæc inhabilitas eligendi in confessorium Sacerdotem à nemine approbatum etiam ad Prælatos Regulares, qui adinstar Episcoporum debent confiteri vel suo subdito per eos approbato, vel alteri Sacerdoti habenti à proprio Superiore approbationem ex juribus, rationibus, ac auctoritatibus supracitatis, minime attentæ contraria assertione Bardonis, & aliorum assecularum, quos cumulat d. part. 1. resol. 34. num. 32. & 33. & eo minus subditi possunt eligere non approbatum, quando itinerantes habent Socium Sacerdotem approbatum à Superiore suo; vel hospitantur in Monasteriis, seu Conventibus, in quibus extant Confessarii deputati; istis enim tunc tenentur confiteri peccata sua; ut concedunt Bardonius d. part. 1. resol. 4. num. 6. & antedicta resol. 34. num. 4. & docent Tamburinus de Jure Abbat. tom. 2. dis. 6. quæst. 6. num. 4. & 6. Layman libr. 5. tract. 6. cap. 10. num. 20. & Gobatus in Theol. Experim. tract. 7. à num. 646. & seqq. ubi prudenter advertit in his casibus attendenda esse statuta Religionum; in pluribus enim Religiosis Ordinibus prohibent confiteri alteri, quam Sacerdoti ejusdem Ordinis, à Superiore destinato, prout constat de PP. Cathusianis, ac de Capuccinis. Et hæc satis de primo dubio.

Secundum dubium est: Si Religiosus neque sit iter agens, neque manens extra Monasterium; sed occasionaliter reperiat extra claustra, puta celebraturus in aliena Ecclesia (ut facit in hac Parochiali Sancti Petri de Padua Procurator Carmelitarum officians ab annis centum, & ultra quotidianam Capellaniam institutam à celeberrimo Jureconsulto Joanne Cephalo in hac Ecclesia ante Altare majus sepulto) vel existat in Episcopio recepturus Ordinem Sacrum, & recordetur aliquis peccati mortalis; An in hoc casu prædictus Religiosus possit confiteri Regulari approbato, alterius Ordinis, vel Confessario Saculari deputato per Episcopum? Respondetur Affirmative à Bordonio dict. part. 1. resol. 34. num. 27. Tum quia in privilegiis Religiosorum de

non confitendo exteris Sacerdotibus excipitur casus necessitatis, qualis videtur esse antedictus, ne Religiosus ille aut scandalum det, aut cogatur celebrare, vel communicare in mortali, & necessitas non est subiecta legibus. cap. Quando. de consuetud. & facit licitum, quod erat illicitum. cap. 4. de Regulis Jur. Tum etiam quia prædictus Religiosus est similis itineranti, & pro eo stat præsumpta licentia sui Superioris, ut possit alteri extraneo confiteri.

Tertium dubium: Si Religiosus adversionem habens cum Confessario sui Conventus, assumat iter ex aliqua sicca necessitate, sed cum hac fraude, & intentione confitendi extraneo, An ejus confessio sit valida? Respondetur negative; & nulla erit absolutio, quia fraus, & dolus nemini debet patrocinari. cap. Sedes Apostolica. De Rescript. & Privilegium eligendi exterum Confessorium requirit, ut in itinerantibus ablit fraus. Sorbus Verb. Absolutio Ordin. quo ad fratres. §. 23. Bordonius d. resol. 34. num. 25. Ubi secus dicendum esse advertit, si causa iter agendi esset vera, quamvis cum animo confitendi extero; puta si arripere iter ad alibi concionandum, vel ad comparandum coram Provinciali, aut Generali ex legitimo motivo; tunc enim fraus, quæ non est principalis, sed secundaria non nocet; ut ait Navar. conf. 6. num. 4. de Convers. Conjug. & facit textus in cap. Quia diversitatem. De Concess. Præbend.

Quartum dubium: An Religio, seu Generalis, vel Provincialis cum suis Capitulis possint prohibere hæc licentias eligendi exteros Confessarios Religiosis aut peregrinantibus, aut in claustris manentibus, sive subditis, sive in Prælatura positus? Respondetur negative pro peregrinantibus, ac iter necessarium agentibus; quia fundantur in Privilegiis Apostolicis, quæ decet esse mansura Reg. 16. in 6. & à nemine violari. cap. Quanto. 26. de Privil. præcipue ab inferioribus. cap. Cum Inferior. 16. de Major. & Obed. Clement. Ne Romani. De Elect. At pro degeatibus in claustris, respondendum est affirmative; & optimum est has licentias auferre tam subditis, quam Prælati, quæ solum libertatem peccandi, & destruunt Regularem disciplinam, Bordonius alios citans d. part. 1. resol. 34. num. 35. ubi dicit, de facto in pluribus Religionibus existere prohibitionem harum licentiarum, ut de Theatinis, ac Dominicanis.

Quintum Dubium: An præter Religiosos prædictos exteri alia persona, quæ possint confiteri peccata sua Sacerdotibus non approbatis ab Episcopo? Respondetur, extare Novitios, atque famulos, etsi laicos, continuos commensales, commorantes in Monasteriis, qui omnes possunt confiteri Confessario per solum Prælatum Regularem deputatum, prout faciunt alii Religiosi, quorum Privilegiis circa receptionem Sacramentorum fruuntur ex decreto Concilii Trident. sess. 24. de Reform. capit. 11. & sess. 25. de Regular. cap. 11. quod notant Barbosa de Jure Eccl. Univ. dict. lib. 1. capit. 43. numer. 205. & in Decisionibus Apostolicis Verb. Confessarius, collect. an. 202. num. 19. Lezana in Summ. tom. 2. capit. 16. n. 6. Aliter tamen est dicendum de famulis, ac laborantibus, qui die deserviunt in Monasterio, sed vespere revertuntur ad proprias domos, ut decusum refert idem Lezana ibidem à Sac. Congregatione, & concordat Bordonius eadem resol. 34. num. 41. Illud autem est advertendum, quod famuli laici continui commensales possunt etiam confiteri extero Sacerdoti per Episcopum approbato; sed non etiam Novitii; hi enim obligati sunt confiteri confessorio ad eorum con-

confessiones excipiendas per Pralatos Regulares Superiores suos deputato; aliis absolutio esset invalida, ut probat Bordonus de Profess. Regulari cap. 15. quest. 18. à num. 44. & seqq. Tamburinus de Jure Abbat. d. tom. 2. disp. 6. qu. 6. num. 11. Vechius in praxi Novitior. disp. 10. dub. 3. num. 3. Megala part. 1. lib. 1. cap. 8. num. 20. & Peregrinus in dict. Commentar. ad Constitutiones Clericor. Regular. part. 2. capit. 5. lit. K. quest. 8. contra quem tanquam laceffitus insurgit Diana part. 3. tract. 2. resol. 4. & part. 4. tract. 4. resol. 5. Quæ impellat sunt in Dianæ Coordinati tom. 7. tract. 1. resol. 105. & 106. in quibus tum rationibus, tum Doctoribus demonstrat, Novitios posse valide absolvi à Confessariis per solum Episcopum approbatis; siquidem nondum sunt Religiosi, aut Religionis legibus obligati. Rationes utriusque opinionis apud eundem Bordonum, & Dianam studiosus Lector videat, ac judicet.

Sextum dubium: An Novitii, omisso proprio Magistro eis deputato in Confessarium, ad prescriptum supra 20 relati Decreti Clementis Papa VIII. saltem possint confiteri aliis confessariis expositis in eodem Monasterio, vel Conventu pro confessionibus Professorum? Resp. Affirmative; nisi essent statuta in Religione, irritantia eorundem Novitiorum confessiones aliis Confessariis, quam suo Magistro factas; vel nisi esset prohibitum per Pralatos isdem Confessariis eos audire; tunc enim tanquam privati Jurisdictione in Novitios, eos invalide abolverent. Bordonus dict. part. 1. resol. 4. num. 11. & 12. nec non d. resol. 34. num. 38.

Septimum dubium. Utrum juvenis nondum receptus inter Novitios, & nondum indutus habitu Religionis, sed infra paucos dies induendus, possit interim 21 confiteri Confessario à solo Prelato Religionis, non autem ab Episcopo, approbato? Affirmative respondet Bordonus d. resol. 34. num. 58. quia proxime accingendus habetur pro accincto. l. ex tempore 43. ff. de Testam. milit. Idem Bordonus de Profess. Regulari cap. 12. n. 15. & 16. ubi per paucos dies intelligit unam hebdomadam ante inductionem habitus.

Octavum dubium. Quatenus Novitius esset Sacerdos, An Prelatus Regularis possit eum deputare in 22 Confessarium pro Professoris sui Monasterii? Affirmat Bordonus, quia & ipse est Religiosus subditus eidem Prelato dict. part. 1. resol. 4. num. 26. dummodo iste casus non esset expresse prohibitus in Statutis Religionis. Imò Prelatus Regularis potest deputare pro audiendis confessionibus Religiosorum sibi subditorum quemcumque Presbyterum Sæcularem à nullo Episcopo approbatum. Suarez in 3. p. D. Thom. tom. 4. de Sacrament. Pœnitent. disputat. 28. sect. 4. num. 5. & Pellizzarius in Man. Regul. tom. 2. tractat. 8. cap. 2. num. 2.

Nonum dubium. An Hospites laici, qui devotionis, vel recreationis causa per aliquot dies morantur in 23 Monasteriis vel Conventibus Regularium, (ut sæpe accidit in Monasterio S. Justine de Padua; vel in Eremito Rue RR. PP. Eremitarum Camaldulensium) possint ibidem confiteri peccata sua Confessariis Religiosis non approbatis ab Episcopo, sed à solo Prelato Regulari deputatis? Responderetur Negative ex doctrina Suarii de Religione tom. 4. tract. 3. lib. 9. cap. 3. num. 18. & Peyrini ad Constit. 1. Julii Secundi num. 93. pag. 58. & ex manifesta ratione, quia cum sint sæculares prædicti Hospites, eorum confessiones audiri non possunt, nisi ab approbatis per Episco-

pum loci; ideoque dum ego essem Vicarius Generalis in hoc Episcopatu Paduæ Sanctæ Memoræ Eminenti ac Reverendiss. Domini mei Gregorii Cardinalis Barbadii, pluries approbavi tum RR. Monachos Calinenfes, tum RR. Camaldulentes Eremitas de Rua pro laicis Hospitibus sacramentaliter audiendis, atque absolvendis; excipitur casus gravissimæ infirmitatis, tunc enim ob morale mortis periculum quilibet Sacerdos potest eos absolvere, & ab isdem Religiosis omnia Sacramenta possunt ipsis Hospitibus ministrari virtute antiquorum Privilegiorum; quorum meminit Bullarium Calinense tom. 1. Verb. Privilegia. vers. Pius II. numero 6. pag. 343.

Decimum & ultimum dubium est: An Viri Tertiarii, & mulieres Tertiariæ, vulgò Pizzochere, 24 possint confiteri sua peccata Sacerdotibus non approbatis ab Episcopo, sed tantummodo deputatis per Prælatum Ordinis, ejus habitum gestant? Pro resolutione præmittendum quo ad Viros Tertiarios, quod istorum tres sunt species. Alii enim portant habitum pœnitentiæ ex sola devotione, & ad consequendas indulgentias, licet vivant in sæculo, & sint uxorati, & nullam aliam habent obligationem. Alii induunt habitum, sed sine caputo, & emittunt vota simplicia castitatis, paupertatis, & obedientiæ; sed vivunt vel in propriis domibus, vel in Eremitoriis. Alii vivunt in claustris sub obedientia Prælatorum, vel cum votis simplicibus, vel cum votis solemnibus Religionis Donatus de Regularib. tom. 2. tractat. 16. quest. 6. Lezana in Summa tom. 2. capit. 14. & Bordonus d. part. 1. resol. 3. num. 13. Tertiarii primæ, & secundæ speciei tenentur confiteri Sacerdotibus approbatis ab Episcopo. Tertiarii tertiæ speciei continentur deputatis per Prælatum Monasterii, seu Conventus, in quo degunt. Ratio primi dicti est, quia Tertiarii primæ, ac secundæ speciei non sunt Religiosi, sed sæculares, ac laici; ut tradit Menochius de Arbitr. Judic. casu 56. num. 7. Carolus de Grassis de Effect. Clericat. effect. 1. à num. 92. & alii DD. congestis ostendit Sperellus Decis. II. num. 22. Ideo non sunt audiendi Moralitæ contrarium scribentes; siquidem contra eorum doctrinam respondit Sacra Congregatio Episcoporum die 23. Novembris 1582. per litteras, quas refert Pignatellus tom. 7. Consult. 8. num. 43. conceptas his verbis ad Episcopum, à quo de hoc dubio fuerat consultatus: *V. S. non permetta in modo alcuno, che i Tertiarii si confessino, se non à quelle persone, che sono state ammesse alle Confessioni da Lei; etiam dicio, che sino Frati, perche niuno dee confessare senza l'approvazione dell' Ordinario, & expresse prohibuit eadem Sacra Congregatio Fratribus Monasterii Sancti Dominici de Lugo Immolensis Diocesis, ut disserit idem Pignatellus in tom. 3. Consult. 34. in fine, adeo ut nunc nefas sit contrarium asserere. Illi vero tertiæ speciei continentur Confessariis deputatis per Pralatos Regulares, cum hac differentia, quod si tria vota Religionis solemniter emiserint; non possint sine licentia sui Prælati eligere alium Confessarium; si autem vota tantum simplicia fecerint, valeant confiteri tam Confessario Monasterii, quam extero; & ita intelligendi sunt Theologi Regulares de Confessionibus Tertiariarum loquentes. Bordonus Var. Resolut. dict. part. 1. resol. 34. numer. 40. & 44. & clarius part. 2. Resol. 75. num. 54. Lezana d. tom. 2. cap. 14. num.*

num. 34. Novarius in *Summa Bullar. part. 2. Comment.*
47. num. 6. & Lantusca de *Privil. Regul. verb. Tertiarii*
num. 2.

De Mulieribus Tertiariis respondebo in Decisione
sequenti.

DECISIO XL.

ARGUMENTUM.

Confessarii Regulares non approbati ab Episcopo non possunt audire confessiones Mulierum Tertiariarum, quæ vulgò dicuntur *Pizzochere*. Harum duo genera. Conditiones, quibus Tertiariæ sunt ab Episcopis permittendæ. Plura de his Tertiariis scitu digna. Qua pœna plectendus Regularis audiens earum confessiones sine approbatione Episcopi?

SUMMARIUM.

- 1 Tertiariarum Mulierum duo genera. Et quæ?
- 2 Tertiariæ collegialiter viventes sine clausura proscriptæ.
- 3 Beguinæ quænam fuerint? & cur damnatæ?
- 4 Jesuitissæ quænam fuerint? & cur suppressæ?
- 5 Mulierum adamantinæ sæpe destructæ à S. Congregatione.
- 6 Tertiariæ permittuntur in domibus consanguineorum suorum cum septem conditionibus. Et quæ?
- 7 Tertiariæ possunt contrahere Matrimonium.
- 8 Tertiariarum Confessiones quinam possunt audire?
- 9 Tertiariæ Putavii S. Rosæ, S. Antonii, S. Francisci.
- 10 Tertiariæ collegialiter viventes non sunt Religiosæ.
- 11 Paulus Vallaresso Episc. Concordien. laudatus.
- 12 Confessarius non approbatus audiens Confessiones quomodo puniatur?

Pro resolutione suprapositi dubii, Quibus Confessariis possint, ac debeant confiteri Sacramentaliter Mulieres Tertiariæ, vulgò appellatæ *Pizzochere*.

Præmittendum est primo, quod nostris temporibus, & in his nostris regionibus harum mulierum Tertiariarum duo sunt genera. Unum illarum, quæ vivunt in domibus suorum parentum, deferentes habitum Pœnitentiæ; Alterum illarum, quæ collegialiter vivunt, vestitæ more Monialium, sub obedientia Prælatorum Regularium, absque tamen clausura.

Præmittendum est secundo, quod licet Tertiariæ hujus secundi generis ex conniventia, (ne dicam incuria) Episcoporum in pluribus Civitatibus, & Castris subsistant; tamen sunt proscriptæ per Pontificiam Constitutionem 8. B. Pii Quinti de Anno 1556. incipien. *Circa Pastoralis Officii*, in qua sancitum est, ut prædictæ Mulieres Tertiariæ vel se subijciant perpetuæ clausuræ, & vota solennia Religionis emittant; vel non permittantur vivere collegialiter, ob periculum scandalorum ex ingressu hominum ad illas. Donatus de *Regularib. tom. 2. tract. 17. quæst. 1. num. 10. & 11. Idem tom. 4. tract. 14. quæst. 17. num. 4. Bordonus Var. Resol. part. 2. resol. 75. num. 50. & Lezana in Summa tom. 2. cap.*

14. num. 38. ubi refert, sæpè declaratum fuisse à S. Congregatione Episc. & Regular. hujusmodi mulierum collegia esse omnino extinguenda; quod etiam scribunt Piascius in *Praxi Episc. part. 2. capit. 3. art. 7. num. 13. Peyrin. tom. 1. ad Constit. 4. Sixti IV. §. 7. num. 35. Barbosa in Decis. Apostol. Verb. Tertiariæ num. 4. & novissime Illustrissimus, ac Reverendissimus Episcopus Crispinus (cujus humanissima conversatione Romæ mihi fœui contigit anno 1667.) in suo eruditissimo tractatu *De Visitatione Pastoralis part. 2. §. 42. num. 164.* Nimis enim mulieres absque clausura congregatæ affligerunt Ecclesiam per omnia sæpè tempora. *Clem. Cum de quibusdam. De Relig. Domib.* in qua damnatur congregatio Beguinarum, quæ erant feminae sic dictæ, vel à Sancta Begalorore S. Gelonidis, vel à Lamberto Bego Sacerdote Leodiensi, magno pietatis viro; quarum Beguinarum errores, & hæreses referuntur in *Clem. Ad nostram. De Hæresib.* Ac eadem de causa Sacra Congregatio Episcoporum anno 1617. 7. Martii commisit Archiepiscopo Bononiensi; prout etiam die 11. Augusti ejusdem anni Episcopo Forosempontensi, ut remitterent ad domos suas quasdam Mulieres, ac Virgines congregatas, spirituales vitam simul acturas. Pignatellus tom. 2. consult. 65. num. 4. & Urbanus Papa VIII. Anno 1630. per suam Constitutionem CX. in tom. 4. Bullar. Rom. incipien. *Pistoralis*, &c. Suppressit, ac destruxit Congregationem quarundam Mulierum, ac Virginum, quæ assumpto nomine *Jesuitissarum*, & creata sibi Præposita una earum, in cujus manibus vota obedientiæ, castitatis, ac paupertatis emittebant, seu prætextu zeli animarum divagabantur cum summo pudoris detrimento; opera, quæ nisi doctissimis viris conveniunt, allumescentes: ut latius in dicta Constitutione. Pariter anno 1636. 22. Augusti, in una Florentina Sacra Congregatio Episcoporum; nec non Sacra Congregatio Concilii in una Comen. die 23. Febr. 1647. prout etiam in una Mediolanen. 16. Aprilis 1653. ac pariter in una Cusentina die 27. Novembris ejusdem anni, præcepit, ac mandavit suppressionem similium adinventarum Mulierum, ut legitur apud Emin. Card. de Luca in tractatu de jurisdictione disc. 45. num. 9.*

Præmittendum tertio, quod Mulieres Tertiariæ permittuntur recipere habitum de Pœnitentia à Regularibus, & illum deferre, habitando, & vivendo singillatim in domibus suorum consanguineorum ex Decreto Sacra Congregationis; sed cum septem conditionibus. Prima, ut habeant saltem annos quadraginta. Secunda, quod non mendicent, sed habeant ex proprio, unde honestè vivant. Tertia, quod sint probatæ vitæ. Quarta, ut non habitent cum aliis viris, quàm cum suis consanguineis, vel affinibus primi gradus. Quinta, ut non admittantur ad habitum, nisi de licentia Episcopi, qui eam denegare debeat, si prædictæ conditiones deficiant. Sexta, ut Tertiariæ indutæ habitu de Pœnitentia abstineant à velo Monastico, & bavaro, vulgò *Sottagola*, & à scapulari dicto vulgariter *la Patienza*. Et Septima, ut faciant simplex votum castitatis, ac vitæ cœlibis. Ita Sacra Congregatio in suo Decreto diei 20. Decembris 1616. quod referunt Naldus in *Verb. Clausura num. 7. Lezana dict. tom. 2. capit. 14. num. 29. & seqq. Tamburinus de Jure Abb. diss. 7. qu. 3. num. 7. & Bordonus part. 2. resol. 58. numer. 30. nec non resol. 75. num. 19. & 20. Advertentes earundem Tertiariarum votum esse simplex,*